



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

24. Magister, Moyses dixit, Si quis mortuus fuerit non habens filium, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

nisi in genere maledicere voluit, quia dolosus est. Clarum autem est, totique mundo notissimum, contra vnam Catholicam Ecclesiam, eiusque fidem sacrosanctam, antiquam, Apostolicam, omnes hodie quasunque sectas, Calvinistas, Lutheranos, Anabaptistas, & quosuis alios operosissimè scribere. In Anglia contra solos Catholicos tam Caluino-Papistæ, vt à Puritanis vocantur, quàm Puritani, Superilluminati, & aliæ sectæ, persecutionem acerbissimam mouent, fouent, & accendunt. Cogimur in scriptis nostris pro fide orthodoxa, modò Lutheranorum, modò Calvinistarū, modò Caluini, Bezæ, Musculi, modo Chemnitij, Melanchthonis, Magdeburgensium argumēta soluere, maledictis respondere, mendacia deregere. Nunc bonus Caluinus ne hanc suam & suorum, turpitudinem in hac Phariseorū, Sadduceorū, & Herodianorum contram vnum Christum pugna quisquam aspiceret, auertit lectoris oculos ad vmbas quasdam à se confictas Epicureorum & Libertinorū, qui vnà cum Catholicis Principibus, Pastoribus, ac Scriptoribus, Caluini cacāgelion infesto odio persequuntur.

24. *Magister, Moyses dixit, Si quis mortuus fuerit non habens filium, &c.*

OBSERVARE hoc loco licet, omnes veritatis hostes contra ipsam veritatem testimonia veritatis obtendere. Putauit sibi hoc obseruandum Caluinus, vt, dum alios accusat, sese ab eodem crimine immunem esse persuadeat. Ait enim. *Sic impij omnes ac heretici calumnias fabricant, quibus deformant veram pietatis doctrinam, ac pud faciunt seruos Christi.* Nec generali hac veraque obseruatione contentus, addit. *Imò Papi-*

*Caluinus
suum cri-
men alijs
irapingit.*